UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam interpretis donatus

Iter ad coelum in quatuor partitum Semitas seu partes, & Fasciculum Myrrhæ

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

De primo beneficio, quod est liberatio à peccato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49363

Visual Library

noſtrâ memoriâ viuâ, pro eiſdem gratos nos, vti decet, exhibere valeamus, veluti ſuo loco dicetur.

De primo beneficio Paſſionis Chriſti, quod eſt liberatio à peccato.

Veritas certiſſima eſt, & de fide, Chriſtum D.N. per Paſſionem & Sanguinem ſuum lauare & mundare animam noſtram ab omni peccati macula. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo.* Quod non intelligitur *immediatè*, ſed *mediatè*: etenim Sanguis Chriſti eſt cauſa gratiæ, quâ mediante, tanquàm aquâ ſpirituali, mundatur & purificatur anima noſtra à cunctis peccatorum ſordibus. Hoc igitur eſt, quod dicere intendit, Chriſtum Paſſione ſuâ nos liberare à peccato: id eſt, quod Paſſione ſuâ nobis conferat gratiam remiſſiuam peccati. *Apoc. c.1.*

Verùm, vt meliùs percipiatur huius beneficii excellentia; dignum conſideratione eſt, quàm ingens malum ſit peccatum, à quo Paſſio Saluatoris nos liberat. Peccatum non eſt qualecunque malum, ſed ſummum & infinitum malum. Præterea eſt malum à tota Natura humana, & Angelica irremiſſibile & irreparabile: quia nulla infinitam præſtare poteſt ſatisfactionem conuenientem infinitæ malitiæ peccati. Denique eſt malum quoddam deſtructiuum habitus Gratiæ, & omnium effectuum ejus, cauſando effectus contrarios.

Plurimi ſunt effectus gratiæ. 1. Pulchram efficit animam per lumen ſapientiæ in intellectu, & per affectum Charitatis in voluntate: in quibus duabus perfectionibus propriè conſiſtit pulchritudo ſubſtantiæ ſpiritualibus. 2. Animam ditat virtutibus infuſis, & habitibus ſupernaturalibus, tanquam gemmis pretioſis & inæſtimabilis valoris. 3. Participem eam reddit vitæ ſupernaturalis & Diuinæ. 4. Eandem facit Amicam, filiam adoptiuam Dei conſtituit. 6. Particulari etiam aſſiſtentia & protectione Dei dignam efficit. 7. Ius confert ad gloriam. 8. Vnit animam ſponſalitio Chriſti per lumen & viſionem beatam. 9. Adorent

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

corpus proportionata gloria, vti continget in Reſurrectione. Omnes præfatos effectus deſtruxit peccatum. Priuat animam propria pulchritudine, exuit eandem virtutum opibus, remanentibus ſolùm in ea, ex pura Dei benignitate, Fide & Spe, tanquàm *ſemine conuerſionis*: ſurripit ei vitam Diuinam gratiæ: tollit amicitiam, filiationem, protectionem Dei, & ius hæreditatis ad gloriam, tam eſſentialem competentem animæ, quam accidentalem corpori propriam. Neque hic eſt finis ruinæ & deſtructionis, quam cauſat peccatum mortale in anima: ſiquidem progenerat etiam effectus gratiæ planè contrarios. 1. Turpem ac deformem, ſicuti Dæmonem, efficit animam per ignorantiam rerum Diuinarum in intellectu, & per concupiſcentiam terrenarum rerum in voluntate. 2 Loco virtutum replet animam inordinatis paſſionibus & habitibus vitioſis. 3. Facit, vt vitam agat diabolicam, cùm eodem, quo Dæmon, viuat ſpiritu, qui eſt peccatum. 4 Dæmonis conſtituit Amicam, cùm in iiſdem malis communicet cum Dæmone. 5. Eiuſdem quoque Dæmonis efficit Fi-
Ioan. ep. 1. c. 3. liam: *Manifeſti ſunt Filii Dei, & Filii Diaboli.* Nam quemadmodum iuſtus dicitur Filius Dei, quia ſpiritu
Rom. c. 8. *Dei agitur*, & per gratiam ſe vnit Spiritui ſancto per *modum mouentis & mobilis*; ita peccator dicitur Filius Diaboli, quia *agitur ſpiritu Diaboli*, & per peccatum ſeſe vnit cum eodem *per modum mouentis & mobilis*, cùm ſemper ab ipſo moueatur & concitetur ad malum. 6. Proiectio, quæ tali Filio debetur, eſt poſſeſſio quædam & dominium, quod habet Diabolus ſupra illam animam, amouendo & retrahendo eam, quantum poteſt, ab omni occaſione benè faciendi. 7. Peccatum affert reatum & obligationem ad pœnam æternam Gehennam damni & ſenſus in morte. 9 Pœnam accidentalem corporis in vltima reſurrectione.

Ex hiſce effectibus colligitur, quàm magnum malum & monſtrum ſit peccatum mortale. Quod ſi igitur tam excellens bonum ſit Gratia, veluti dictum eſt, & tam ingens malum ſit peccatum, maximum etiam & incomparabile erit beneficium nobis per Paſſionem Chriſti præſtitum, conferendo nobis gratiam, & liberando nos à peccato.

De